RESPONSIO AD DUAS PRÆTENSAS CONSUETUDINES VENERAB. ECCLESIÆ METROPOLITANÆ SENEN. PER LIBELLUM...

Giovanni Battista Centeni

Digitized by Google

Digitized by Google

172

RESPONDENS

ADMODUM REV. D.

JOANNI BAPTISTÆ CENTENI

NE fortè cadat in me illud miſerabile dictum Prophetæ Iſaiæ ſecum loquentis — Væ mihi quia tacui — Cum ſim quaſi ſolus in hac Civitate, qui repercutere, & confringere poſſim verba tuæ ſcripturæ, quæ nuper, poſt laborem decem, & ſeptem Menſium, a tranſgreſſione tuæ ſolutionis, poſitæ in Calendario 1745. ut infra dicitur, per libellum typis mandatum, publica fuit; neceſse eſt, ut rationibus ſacris, ac doctrinis præditus, inſurgam contra te, aſſerentem noxia, & contraria Legi, & Praxi Eccleſiæ univerſalis. Timerem equidem calamum velociter ſcribentem, & ſtridentem, ne decurreret loquacem adverſus te; At audio Apoſtolum clamantem — omnia in charitate fiant — manſuetudine itaque, & charitate utar; attamen, quia ad defenſionem Sacrorum Rituum, & ad conſervandam veram, & realem diſciplinam Eccleſiæ loqui debeo, paſſim opus erit, ut colluctemur, & maximè, quia laudas Ritum, & amplecteris Conſuetudinem.

Digitized by Google

Antequam autem progrediar ad quæſtionem, ſcire velim, cur, & qua auctoritate fretus, auſus ſis in præcedentibus Calendariis a te directis, ponere Decreta, & non Decreta, quæ nemo Epiſcoporum hactenus duxit in Praxim, quod ſciatur. Miror etiam, & obſtupeſco, cum ſit orta diſputatio inter te, & Magiſtrum Ceremoniarum Reverendiſſimi Capituli Metropolitanæ Eccleſiæ Senen. an cantari debeat Matutinum ſolemne infra Octavam Corporis Chriſti in Vigilia Nativitatis S. Jo: Baptiſtæ; Tu abſolutè ponendo dubium, uti dicis, & poſtea ſolutionem, videndo non fuiſſe executioni mandatam, excuſſo jugo, ut ita dicam, Reverentiæ, & Obedientiæ erga S. RR. C. quam conſulere debebas, ut dignaretur pro rei veritate, & decentia Eccleſiæ decernere, data occaſione ſupradicta, quid eſſet faciendum in Poſterum, poſt magnum laborem Typis mandaveris libellum non ſatis verum, ad quem tædet opus, & reſponſum dare; Sed Deo adjuvante, ut tollatur Schiſma, quod aliquando inter Reverendiſſimos Capitulares Eccleſiæ Metropolitanæ Senen. oriri poſſet, facilitate, veritate, & doctrina ſana Eccleſiæ Romanæ decernentis, quomodo peragendæ ſint S. Functiones, tantum ad ſubſtantiam quæſtionis, & non ad prolixa verba tua, declarabo.

Centen. In Moſayca Lege præcepit Deus exactè ſervari S. Ceremonias, decernens præmia obedientibus, ſupplicia tranſgredientibus intentans. Si tantum ergo zelum

zelum habuit pro illis noſtrarum Umbris, quid pro iſtis tanto perfectioribus, quanto perfectior eſt Lex Gratiæ, cujus S. Ceremoniæ ornamentum nuncupari poſſunt? Id proſpiciens Eccleſia divino afflatu, virtuteq. poteſtatis ſibi a Chriſto traditæ S. Leges, & Ritus inſtituit &c.

℞. Hucuſque ex tua ſententia per Legem Moſajcam oſtendis; At ut uberius videatur multoties Deum ſic voluiſſe, ex allatis Teſtibus dignoſcetur.

— Ex Gen. 26. 5. —

Benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ, eo quod obedierit Abraam voci meæ, & cuſtodierit Præcepta, & mandata mea, & Ceremonias, Legeſque ſervaverit.

— Ex Deut. 4. 7. —

Non eſt alia Natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſervationibus noſtris: quæ eſt enim Gens ſic inclyta, quæ habeat Ceremonias, juſtaq. Judicia, & univerſam Legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?

— Ex 3. Reg. 2. 3. —

Obſerva cuſtodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, & cuſtodias Ceremonias ejus, & Præcepta ejus, & Judicia, & Teſtimonia, ſicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi.

— Ezech. 44. 5. —

Fili hominis pone cor tuum, & vide oculis tuis, &

auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te, de univerſis Ceremoniis Domus Domini, & de cunctis legibus ejus.

— Ezech. 15. —

Sacerdotes autem, & Levitæ Filii Sadoc, qui cuſtodierunt Ceremonias Sanctuarii mei, cum errarent Filii Iſrael a me; Ipſi accedant ad me, ut miniſtrent mihi, & ſtabunt in conſpectu meo, ut offerant mihi adipem, & Sanguinem, ait Dominus Deus.

Hic liceat interrogare, & ſignanter te, an poſtquam Judæi per Moyſen intellexerunt Legem Dei circa obſervandas Ceremonias, licuerit eis ſervare priſtinas conſuetudines, ſaltem unam, vel binas, quas rationabiliter loquendo habere debebant, inobediendo legi? Credo equidem, quod nefas eſſet; ergo a fortiori qui ſunt in Lege Gratiæ transſgrediendo Eccleſiæ Romanæ Statuta Rituum, etiam ad tenorem prædictorum non ſolum peccant, ſed ſunt cauſa peccantium; Tandem ut citius, & brevitate poſſibili procedatur ad probationes, in nomine Domini incipiam.

Duo ſunt, quæ pariunt quæſtionem, Unum; an Reverendiſs. Capitulum Eccleſiæ Metropolitanæ Senen. in vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, quæ cecidit infra octavam Corporis Chriſti anni 1745. cum non celebraverit ſolemniter Matutinum, poſt decantatas Veſperas, ſecundum tuam propoſitionem,

nem, & affirmationem, bene egerit, vel non.

Alterum vero, an ſpectet ad primam Dignitatem, & ea deficiente, ſucceſſivè ad alias Dignitates, abſente Epiſcopo, vel impedito, celebrare, & facere omnes Functiones, quas ſolebat celebrare, & facere Epiſcopus præſens.

Intendis vigore tuæ Propoſitionis, ſeu Dubii, uti vocas, quod Anno 1745. Magiſter Ceremoniarum malè ſe geſſerit, quia non egit, ut expoſuiſti; unde durum Libellum in lucem dediſti, per te rationibus plenum, per me nullius valoris, cum ſint expoſita extra Legem Eccleſiæ.

Propoſitio, ſeu Dubium.

Centen. AN in Cathedrali poſt Completorium, aſſiſtente Capitulo, recitetur Matutinum cum Laudibus de Feſto primæ Claſſis v. g. De Nativitate S. Joannis Baptiſtæ, vel de SS. AA. Petro, & Paulo infra octavam Corporis Chriſti occurrentibus, & fungi debeat munere Hebdomadarii Canonicus, prout in primis Veſperis factum fuit.

Reſponſio.

Idem affirmativè.

Suppoſita tamen ſemper præſentia Capituli; Eccleſia enim, dum præſcribit in Cerem. Epiſc. Ritum de

 per-

perſolvendis ſolemniter Matutinis, & Laudibus, intendit aliquando, & ab aliquibus in Praxim deduci &c.

℞. Bona pace, non benè affirmas; quoniam ad tenorem tuæ opinionis dicere oportebat, Affirmativè; de conſuetudine hujus Eccleſiæ, quando prædicta Feſta incidunt infra octavam Corporis Chriſti, debet ſolemniter cantari Matutinum. Sed quia reducis tuam rationem ad Præſentiam Capituli, nihil probas, cum non faciat ſubſtantiam Ritus, & inſuper dicendo Cerem. Epiſc. præſcribere Ritum de perſolvendis ſolemniter Matutinis, & Laudibus, intendere aliquando, & ab aliquibus, & in Praxim deduci, incautè recurris ad regulam generalem, relicta Conſuetudine, & præcìdis rationem tuam in favorem ejuſdem; quamobrem iſta duo, ſcilicet Propoſitio, & ſolutio in tuo cerebro cuſa ſunt, cum in nulla Lege Eccleſiæ inveniatur, quod Matutinum ſolemniter celebrandum cantetur, & perficiatur in ſuo ritu poſt Completorium, unica ratione, quia Capitulum eſt præſens, quod quotidie dici hoc poſſit; ſi vigore octavæ affirmaſſes, concedo Matutinum potuiſſe ſolemniter decantari; nunquam autem ratione tuæ prætenſæ Conſuetudinis, ſed propter Octavam, uti fuſius videbitur. Igitur, quò dirigis Conſuetudinem probandam futuram ſemper eſſe contra expreſſam affirmationem?

Centen.

Digitized by Google

Centen. Nihilominus in enunciata ſolemnitate viſum fuit peragere aliud omnino ab eo, quod in Calendario a me confecto præſcriptum fuerat, ideo non defuerunt, qui me redarguerent, quaſi falſum dixiſſem circa allegatum uſum, & Ritum attuliſſem Feſto S. Joan. Baptiſtæ indebitum. Quare hujuſmodi a me criminationem depellere multo etiam magis Reverendiſ. Capituli Senen. exiſtimationem ex Sacrorum Rituum ſtudio, ac diligentia in hac tota Provincia integram adhuc, & celebrem, ſed novo hoc abuſu aliquantulum imminutam, ac læſam, tueri, ac vindicare operæ pretium duxi, cum præcipuè id ſine ulla ipſius culpa contigerit; — ſcire etenim S. Ceremoniarum Ritum non ad Capitulum ſpectat, ſed ad eum, qui hanc diſciplinam profitetur, & monitoris munus exercet, cui cæteros parere, ut docet Crem: lib. 1. cap. 5. ipſum rationem reddere neceſſe eſt. —

℞. Totum hoc, munus, & onus eſt Cerem. Magiſtri, veraciter expoſitum. Verumtamen inſtituere, & inducere, non dico novam, ſed uſitatam Functionem, non ſpectat, nec ſpectare poterit unquam ad Cerem. Magiſtrum, cui tantum remanet exercitium, & directio Ceremoniarum, & hac in actione omnes Miniſtri ei parere tenentur; ita loquitur, & intelligendum Cerem. Epiſc.. Magna quidem, imo maxima eſſet auctoritas Cerem. Magiſtri, ſi haberet poteſtatem dicendi Papæ, Cardinali, Archie-

piſcopo, Epiſcopo, ac demum Capitulo, hodie, aut cras neceſſario facienda eſt per te talis Functio, & omnino eam celebrare debes. Quis Cerem. Magiſtrorum hoc præſumat? Honorificum enim erit, ſi exactè, & ritè in Sacris Functionibus Ceremoniarius direxerit Miniſtros, & Ceremonias; Quapropter puto, te in falſo ſuppoſito laboraſſe in tua Scriptura retorquendo culpam in Cerem. Magiſtrum Reverendiſſ. Capituli, quia cantatum non fuit ſolemniter Matutinum, ſicuti volebas; & quamvis ille affirmaverit non eſſe conſuetudinem in Metropolitana ſolemniter celebrandum Matutinum S. Joannis Bapt. infra octavam Corporis Chriſti Anni 1745., hæc per modum conſilii, ex conſcientia, ex officio, non autem auctoritate proponere, & aſſerere licuit ei. Ab Anno igitur 1710. uſq. ad Annum 1745. ex tua confeſſione Matutinum S. Joannis Baptiſtæ infra octavam Corporis Chriſti, per tres vices non fuit ſolemniter celebratum. Quare nunc in Sede vacante inſurgis, & clamas, & tempore defuncti Archiepiſcopi tacuiſti, cum non fuerit celebratum?

Centen. De jure, & de facto debebat cantari ſolemniter Matutinum. De jure, quia Calendarium nil aliud eſt, quàm Lex Eccleſiæ. De facto, quia cum omnibus notum ſit fieri Hebdomadarium a Canonico ad Horam Tertiæ in die S. Joannis, & ad Matutinum Viſitationis, quæ omnia inferiora ſunt in ordi-

Digitized by Google

ordine, ritu, & ſolemnitate Matutino Præcurſoris; quis eſt, qui ſatis clarè non intelligat idem retinendum in hoc, de quo agitur Matutino?

℞. Perpulchra prætenſio! Quod Calendarium cum non ſit aliud, quàm directio Rubricarum, tam in Sacris peragendis, quàm in perſolvendo Divinum Officium, Lex Eccleſiæ ſit abſoluta. Eſt Lex Eccleſiæ per accidens, ideſt, quando ponit Ritum Eccleſiæ, verum, irrefragabiliter expoſitum, & declaratum; non vero quando in eo ſunt errores circa Ritum, & maximè intentionis Directoris, uti in præſenti cauſa patet. Etiam Prædicatio communiter loquendo, vocatur Verbum Dei, quia regulariter Dei Evangelium annunciandum, & explicandum catholicè ſit; verum enim vero ſi Concionator proferat verba, ſenſus hæreticales, vel frigidum Verbum, Prædicatio Concionatoris erit talis, qualis, eam protulit; quapropter ne doleas, quod jus ſit læſum. De facto etiam ne facias querimoniam, quia ut mihi videtur laboraſti extra quęſtionem, cum Matutinum ſolemniter non ſit decantatum, & per conſequens violatum jus a Cappellano, competens Hebdomadario.

Centen. In Bibliotheca Nob. olim D. Uberti Benvoglienti extat quidam Liber, cujus titulus — Prologus in Libro de ordine Officiorum Senen. Eccl. — ipſe autem Liber duas in partes diviſus eſt. Altera titulum, ſeu inſcriptionem profert, quam ſupra at-

attulimus, & ordinem deſcribit Divinorum Officiorum, qualis eo tempore in noſtra Eccleſia adhibebatur, ejuſque exemplar quo ad primam partem aſſerit D. Benvoglienti apud Ughellum tom. 3. pag. 555 aſſervari in tabulario Metropolitanæ, & tempore Epiſcopi Bonfilii, aſſumpti ad Senen. Epiſcopatum Anno 1216 fuiſſe conſcriptum a D. Oderigo Senen. Eccleſiæ Canonico, e vivis exempto Anno 1235.

In prima ergo parte præcitati Libri pag. 371: 72. 73. in quibus agitur de Nativ. S. Joan. Bapt. inter alia in ejus Pervigilio hæc habentur — Ad Veſperas prius Fratres Canonici in majori Eccleſia, & Veſperum S. Mariæ, & de Feſto aliquantulum diſcurſum dicunt; poſtea his dictis, ſtatim ſit tertia pulſatio, & tunc vadunt omnes in Plebem, ubi tali die totus Clerus Civitatis cum D. Epiſcopo Veſperis intereſſe conſuevit, & Benedicamus Domino cantatur ſolemne. More tandem poſt Solis occaſum, in Plebe Vigilia cum tribus Pſalmis, & Lectionibus celebratur. Ad Matutinum Regem Præcurſoris, & omnia ſolemniter fiant, & aliquibus prætermiſſis ita ſubſequitur — poſtea hora congrua in Plebe major Miſſa a Domino Epiſcopo, vel Archipresbytero cum Diacono, & Subdiacono ſolemniter celebratur — ergo his poſitis omnia ſolemniter fiant.

℟. O bone Domine Joan. Baptiſta, quantum laboraſti,

Digitized by Google

raſti, quantum inſudaſti in volvendo, & revolvendo monumenta eruditionum prædicti D. Benvoglienti, &Tabularios Libros. Si meliori conſideratione actus tuos direxiſſes, certum quidem eſt, quod non percuſſiſses tam acriter dictis tuis Cerem. Magiſtrum Reverediſ. Capituli, qui ritè, ac rectè peregit munus ſuum, non ſolemniter faciendo celebrare Matutinum in Vigilia Nativitatis S. Joannis Bapt. infra octavam Corporis Chriſti An. 1745. quia conſuetudo, quam intendis probare, noſtris temporibus nunquam fuit, & ego teſtor Deum, quod cum ſemper præſens fuerim per ſpatium circiter 30. Annorum ad omnia ſacra Officia, quæ poſt Completorium in Octava ſupradicta fiebant, etiamſi inciderint in ea Feſta dictorum Sanctorum, nunquam viderim celebrare in eorum Feſtis ſolemniter Matutinum; imo nec Verbum quidem audivi de hoc peragendo de conſuetudine, uti aſſeris, & hæc non eſt mea aſſertio tantummodo, ſed gratia Dei multi Reverendiſ. Domini Capitulares, & multi Domini Cappellani, vivunt, & cum juramento poſsunt affirmare, per ſupradictum ſpatium Annorum circiter 30. & amplius, etiamſi inciderint Feſta dictorum Sanctorum, non vidiſse cantari ſolemniter Matutinum, quod etiam tu confiteris; ergo admiſſis omnibus Teſtibus tuis, quos contendere nollem, quid prætendis in favorem conſuetudinis? Non cognoſcis conſuetudinem eſse de-

Digitized by Google

debere rationabilem, & non adverſam Ritui Eccleſiæ, ac annuatim eo die, vel menſe recurrere opus eſse? Igitur quatenus conſuetudo iſta fuerit, ruit, ſi per ſpatium tot Annorum in oblivione periit; ſed concedatur etiam, quod aliquam vim habeat, cur non prætendis, ut obſerventur ſtrictim, quæ per tuos textus exhibuiſti? Idcirco cum nullius probationis pro conſervanda conſuetudine ſint allegationes tuæ, quia jam vetera abrogata per Bullas Summorum Pontificum, & Ritus antiquus extinctus fuit; quamobrem ſi melius expoſuiſses in tuo dubio rationem, & devotionem erga S. Joan. Baptiſtam, poterat certo, & poterit deinceps Revendiſ. Capitulum ſolemniter celebrare Matutinum pro Feſtis prædictorum Sanctorum infra prædictam Octavam occurrentium, non ratione tuæ prætenſæ conſuetudinis, ſed quoniam Cerem. Epiſc. permittit in d. Octava — Solitum ſit ponere ſuper Altare Tabernaculum cum SS. Sacramento diſcooperto, dum Veſperæ, & Officia Divina recitantur — quæ Officia Divina tantummodo, & particulariter poſt Completorium permiſsa ſunt in d. Octava. Inſuper addo non ſolum in d. Octava poſse Capitulum Cathedralium celebrare ſolemniter Matutinum dictorum Sanctorum, ſed etiam quotidie in diebus Octavæ etiam ſi fiat Officium de aliquo Sancto, vel de eadem Octava; cum neceſſe non ſit, quod Feſtum ſit 1. vel 2. Claſſis, uti

dicis,

Digitized by Google

dicis, quoniam ſi ita eſset in Feſtis diebus non liceret unquam celebrare Miſsas, & Veſperas ſolemniter. Aſſigno autem rationes, per quas licitum ſit in d. Octava celebrare ſolemniter Matutinum. Prima eſt, ob Venerationem SS. Sacramenti expoſiti ſuper Altare. Secunda ratio eſt, quia Octava eſt continuatio, vel prorogatio Feſti, & Rubricæ clamant invicem ad ſe. At vero cum in Cathedralibus hoc non fiat quotidie in d. Octava, ut celebretur etiam Matutinum ſolemniter; hęc dici poteſt conſuetudo omnium Eccleſiarum, quia annuatim idem agunt univerſaliter, & eo quia, ut dicam inferius, Matutinum ſolemniter celebrandum ab Epiſcopo, vel a Canonicis Cathedralium, vel Collegiatarum, eſt ad libitum eorum perſolvendum; Quamvis ratio, & diſtinctio ſolemnitatum ſit conſideranda pro opportunitate temporis.

Ex hoc animadverte, Amice chariſſime, quod ratio ſolemniter celebrandi Matutinum non ſtat in pręſentia Capituli, ſicuti pro tua inviolabili ratione deſcribis in ſolutione tui Dubii, ſed ſtat, & viget in Ritu Eccleſiæ, velis, nolis.

Multum conferet, ut ſatisfaciam pleniùs Lectori in hac debili reſponſione, ſi primum exponam — Vocem — ſecundo — Legem, & Ritum celebrandi ſolemniter Matutinum.

Prius de voce, & ethymologia Matutini dicatur.

De

De Matutino.

MAtutinum eſt vox antiqua in Concil. Cabilon. 2., & deducitur a Matuta, ideſt — Aurora — Sunt apud Auctores hæc ſynonima pro eodem; Nocturni, Vigiliæ nocturnæ, & Matutinum, de quo hic loquimur, ut eſt a Laudibus diſtinctum; nam alioquin conſtitueret unam horam cum Laudibus — Sanctus Iſydorus 6. Ethymologia cap. ultim. deducit Matutinum a Stella Matutina, videlicet — Lucifero — quæ oritur inchoante mane, inter noctem, & diem; & hinc ediſcas ſi media nocte illud cum antiquioribus, in Aurora ſaltem recites. Primus uſus Matutini, Officii in Bethelem fuit ex Caſſiano a S. Iſiydor. lib. 1. de Eccleſ. Officiis cap. 23. &c. Hæc ad placitum dicta ſint.

De Matutinis ſecundum Legem, & Ritum.

IN cap. 5. lib. 2. Cerem. Epiſc. num. 154. De Matutinis præſente Epiſcopo celebrandis, ita legitur.

Quando in Matutinis Epiſcopo placuerit Officium facere, hora competenti &c. vadit ad Eccleſiam &c. & peragit ſecundum Ritum &c., ut videre in prædicto capite licet. Ergo non invenitur præciſè dies particularis, ſaltem unus, in quo ſoleat, &

& debeat Matutinum ſolemniter facere Epiſcopus. Sed reſpondes quæſtio non eſt de Epiſcopo, & de celebrando ſolemniter Matutinum ab eo, ſed de Capitulo, & particulariter de præſentia ejuſdem ad tenorem meæ ſolutionis? Audiamus igitur caput ſubſequens.

De Matutinis in Cathedralibus, & Colleg. Eccleſiis ſolemniter celebrandis abſente Epiſcopo.

IN cap. 6. lib. 2. Cerem. Epiſc. n. 158. dicitur — in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, abſenſente Epiſcopo, hora competenti congregantur in Sacriſtia omnes Canonici, ubi induuntur ſuo habitu Canonicali; Canonicus quoq. (& benè nota quod non dicit præcisè Hebdomadarius, uti vehementer intendis probare) ſeu alius dignior Præsbyter Eccleſiæ, Miſſam celebraturus, induitur eodem habitu canonicali, vel alio ſuæ Dignitati convenienti, quo in Eccleſia uti conſuevit, qui ſic congregati, incipiunt progredi verſus Chorum, in quo idem prædictus cantat — Domine labia mea aperies — & demum perficitur Matutinum ad normam Ritus. In hoc capite etiam non lego, quænam ſit dies, vel ſolemnis, aut feſtiva, in qua celebrare ſolemniter debeant Canonici Matutinum. Ut mihi videtur, regula Cerem. eſt directiva, quo

ad

Digitized by Google

ad modum canendi ſolemniter Matutinum, non autem præceptiva quo ad diem; quoniam ſi ita eſſet, præcisè, & ſingillatim aſſignarentur dies, ad hoc peragendum; ergo ut redeamus ad noſtram quæſtionem, ſtat, ut cantatio Matutini, de quo agitur, ſolemniter fiat ad libitum Epiſcopi, & Canonicorum; cum capita Cerem. Epiſc. ſint generalia, & relativa inter ſe; ita taliter, quod non admittant interpretationem. Hæc dicta ſint ad univerſalem ſolutionem, quomodo, & quando, niſi aliter provideat Eccleſia, ſit ſolemniter celebrandum Matutinum.

Centen. Anno autem 1692. Non plures, quàm undecim Annos natus, inter Clericos Metropolitanæ fui, licèt immeritò cooptatus, & prima Tonſura initiatus. Tum intima neſcio qua animi vi, repentè excitatus ad ſcientiam Sacrorum Rituum, atque Ceremoniarum, applicui animum. Ex illo omnem meam opéram, omnes meas vires, & omne ſtudium converti ad Sacras Conſetudines noſtræ Eccleſiæ, uſq. ad obitum Archiepiſcopi Marſilii, ſcilicet 1713. Fluxerunt igitur Anni ſuper Seculi medietatem, quibus præ oculis habeo Senen. Eccl. uſus.

℟. Peramplum argumentum ponis ante oculos meos, ut tibi reſpondeam æquanimiter, & patientiam tangis læſam, ut fiat furor. Nihilominus patiar, ut Deo adjuvante, ſalubriter reſipiſcas.

Non

Digitized by Google

Non poſſum, nec debeo ad omnia verba prolixa, quæ facis in tua Scriptura reſpondere, & ſignanter ſuper munia, & officium Hebdomadarii, (cum ad ſecundam partem quæſtionis ſit reſervatum); & prima ratio eſt, quia vis quæſtionis conſiſtit, an Reverendiſs. Capitulum deberet celebrare ſolemniter Matutinum S. Joan. Bapt. infra Octavam Corp. Chriſti Anni 1745. ex conſuetudine, an non; Secunda ratio eſt, ſi Matutinum celebratum fuiſſet ſolemniter, & non a Canonico Hebdomadario, ſed quia hoc non fuit, uti intendebas, mihi videtur tot verba, quæ facis ſupra officium Hebdomadarii, non eſſe in caſu noſtro.

Video te ſemper in eadem intentione, & actu probandi, quod Matutinum S. Joan. Baptiſtæ infra Octavam Corp. Chriſti deberet ſolemniter celebrari, & quod demum non egerit munus ſuum Hebdomadarius Canonicus. Tanta vi, & eloquentia demonſtras, ut qui ſcientiam Sacrorum Rituum non attingat de repente ſentiat, & judicet te vera expoſuiſse, & exercenda ſine contradictione. Iterum, atque iterum repetam, & quæram, unde eruas tantam auctoritatem, ut probare poſſis canonicè, ac ritè perſolvendum eſse ſolemniter Matutinum S. Joannis in prædicta Octava ex prætenſa tua conſuetudine. Pro ſingulari, & ſubſtantiali auctoritate fers Textus jam dictos, & noviter repeten-

peten-

petendos Nob. D. Benvoglienti; Qui Textus, cum non ſint, nec authentici, neque ceremoniales, facillimè, imo juſtiſſimè decidunt; Quoniam Bullæ Summorum Pontificum decernentium ſupra Ritus, & Ceremonias Eccleſiæ, dicunt, & jubent non eſse attendenda alia Ceremonialia, quæ non ſint uniformia Cerem. Epiſc., veluti infra latiùs dicam; Itaque quæro abs te, ſi hanc quæſtionem reſolvere deberes, ut Judex, an diceres, & judicium ferres, Textus, & verba olim D. Benvoglienti ceremonialia eſse, & exequenda? In mea ſententia credo, quod uti Judex reſponderes, nequaquam; uti autem diſpoſitor Calendarii 1745., maximè; quoniam præſumis, te teſtem irrefragabilem, & eſse attendendum, etſi Lex dicat, & clamet — unus teſtis, nullus teſtis. —

Sed dato, & non conceſso, Textus allatos habere aliquam vim Legis, quare tantummodo ad penes ultimam partem; ſcilicet Matutini attendendi, & non ad alias? Repetere, ac repetere fas eſt Textus olim D. Benvoglienti pro te facientes — ad Veſperas prius Fratres Canonici in majori Eccleſia, & Veſperum S. Mariæ, & de Feſto aliqantulum diſcurſum dicunt; Poſtea his dictis, ſtatim fit tertia pulſatio, & tunc vadunt omnes in Plebem, uti tali die totus Clerus Civitatis cum D. Epiſcopo Veſperis intereſſe conſuevit, & Benedicamus Domino cantatur ſolemne. More tandem poſt ſolis occa-

ſum

Digitized by Google

181

ſum in Plebe vigilia cnm tribus Pſalmis, & Lectionibus celebratur. Ad Matutinum Regem Præcurſoris, & omnia ſolemniter fiant &c. poſtea hora congrua in Plebe major Miſſa a D. Epiſcopo, vel Archipresbytero cum Diacono, & Subdiacono ſolemniter celebratur —

Contendis Matutinum ſolemniter celebrandum infra Octavam Corp. Chriſti, ſi occurrat Nativitas S. Joan. Baptiſtæ, & prædictorum Sanctorum per Textum d. D. Benvoglienti in ſecunda parte poſitum pag. 19. Hinc inquirendum eſt, cur ceciderint partes ſupradicti Textus, videlicet — Veſperæ, major Miſsa &c. — quæ pro D. Epiſcopo, vel Archipræsbytero coram toto Clero Civitatis celebrabatur. Erat revera venerabilis Devotio tunc temporis, ut fierent omnia prædicta; at vero ſi evanuerunt poſt tot ſecula iſtæ Functiones per D. Epiſcopum, & Clerum in Plebe peractæ, dicendum eſt etiam, quod Matutinum ſit lapſum, ut ſolemniter celebretur per conſuetudinem a Capitulo, quam nullllius valoris, & rationis, puto cenſendam.

Vidi per 30 circiter Annos Illuſtriſs. & Reverend. D. D. Archiepiſcopum cum Reverendiſs. Capitulo Eccleſiæ in Sabbato Vigilia Penteccoſtes deſcendiſse ad Sacrum Baptiſmalem Fontem benedicendum in Plebem annuatim. Iſta eſt Conſuetudo laudabilis, quia recurrente quolibet Anno ſemper

ſit

Digitized by Google

ſit idem; cum revera de Ritu non ſit, ut deſcendat in Plebem in prædicto Sabbato, & minori labore, & forſitan decentiori decore in Metropolitana Eccleſia fieri poſſit, ſicuti actum eſt in Sabbato Sancto Vigilia Paſchatis.

Eſt pernecesſe, ne videantur Textus allati a me traduci, quatenus non ſint Lex, nec verba ceremonialia, ut pars ſubſtantialis deſcribatur Bullarum ad oſtendendum verum ſenſum Eccleſiæ, & normam Legis.

In Bulla Clementis Papæ VIII. — datum Romæ die 14. Jul. 1600. — cæteris præmiſſis, ad rem ſic dicit — Idcirco Cerem. Epiſc hujuſmodi juſsu noſtro emendatum, & reformatum, motu proprio, & ex cærta ſcientia, ac de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine perpetuo approbantes, illudque in univerſali Eccleſia ab omnibus, & ſingulis Perſonis, ad quas ſpectat, & in futurum ſpectabit, perpetuò obſervandum eſſe præcipimus, & mandamus, ac Ceremoniale hujuſmodi ſic emendatum, & reformatum, nullo unquam tempore in toto, vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi poſse, ac quaſcunq. Perſonas prædictas, quæ Sacerdotalia munera exercere, aut alia quæcunq. in ipſo Ceremoniali contenta facere, aut exequi debent, ad ea peragenda, & præſtanda juxta hujus Ceremonialis formam, & præſcriptum, teneri, neminemq. ex iis, quibus ea exercendi, & faciendi munus

Digitized by Google

132

munus impoſitum exiſtit — Niſi formulis, quæ hoc Cerem. continentur, ſervatis, ſatisfacere poſſe — perpetuo ſtatuimus, & ordinamus per præſentes autem antiqua Ceremonialia in iis, quæ prædicto Cerem. reformato ſunt conformia, minimè aboleri, aut abrogata cenſeri volumus, ſed illorum etiam uſum (ſalva reformatione prædicta) permittimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac etiam in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus, nec non quarumvis Eccleſiarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. —

Innocentius Papa X. — ſupradicta ad verbum, & poſtea — Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro expreſſis habentes ad pręmiſſorum effectus ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cęteriſque contrariis quibuſcunq. — Anno 1650. die 30. Jul.

Ergo ad tenorem prędictarum Bullarum, quę ſunt unitę Cerem. Epiſc. non poſsunt admitti alia Ceremonialia antiqua, quę non reſpondeant huic Ceremoniali reformato. Quomodo enim invaleſcis, & clamas Textus allatos olim D. Benvoglienti obſervatos non fuiſse in cantando Matutinum ſolemniter a Reverendiſs. Capitulo in pręducta Octava,

va,

Digitized by Google

va, ſi ceremonialia verba non ſint, nec ſupponenda?

Adſunt etiam tres alię Bullę, ſeu Conſtitutiones duorum Summorum Pontificum. Prima Inn. XIII., quę incipit — Apoſtolici Miniſterii die 13. Maii 1723. — & alię duę Bened. XIII., cujus prima incipit — In ſupremo die 23. Sept. 1724. — Secunda — Cum inviſibilia Anno 1725. —

Iſtas Conſtitutiones non times dicere, & affirmare, non habere vim Legis univerſalis, eo quia emanatę ſint pro ſolis Hiſpaniarum Eccleſiis. Tertiam utpote editam in Concilio Provinciali Romano Lateran. non excedere limites illius Provincię.

Ut vera fatear, non intelligo in hac tua Scriptura omnes rationes, quia, quę pro te faciunt, Conſtitutiones, & Decreta amplexaris, quę vero non faciunt pro te, reſpuis, ita ut famulentur tuo arbitrio Conſtitutiones, & Decreta. & videndum; affers Decretum emanatum a S.RR.C. pro Hiſpaniis ſupra conſuetudine laudabili, & dicis, quod iſtud Decretum, quamvis emanatum fuerit pro dictis Hiſpaniis, declaravit prędicta S. RR. C. teneri Epiſcopos omnino ſervare, & habere locum in omnibus Regnis, & locis Chriſtianitatis. Videatur itaque, ſi ſentiendum ſit eadem ratione, pro infraſcripta conſtitutione.

XIII.

XIII. Maii MDCCXXIII.

EPiſcopi abuſus omnes, qui in Ecleſiis aut Secularibus, aut Regularibus contra præſcriptum Cerem. Epiſc., & Ritualis Romani, vel Rubricas Miſſalis, & Breviarii irrepſerint, ſtudeant omnino removere; etſi adverſus ea, quæ in dicto Ceremoniali ſtatuta ſunt, conſuetudinem etiam immemorabilem ablegari contingat, poſtquam recognoverint, aut eam non ſatis probari, aut etiam probatam ſuffragari, utpote irrationabilem de jure non poſſe, executioni eorum, quæ in dicto Ceremoniali conſtituta ſunt, diligenter incumbat, nec ulla ſuſpenſio, aut appellatio admittatur, ut demandat — Inn. XIII. in conſtitut., quæ incipit Apoſtolici Miniſterii — edita ſuper Eccleſiaſtica diſciplina in Regnis Hiſpaniarum, ſub num. 20. apud Urſayam, diſceptat. Eccleſiaſticar. tom. 5. part. 2. in fin., ubi egregiè probat, quod licet hæc conſtitutio emanaverit pro Hiſpaniarum Regnis, adhuc pro aliis Catholici Orbis partibus magni facienda eſt, quam alioquin confirmavit Bened. XIII. in conſtitut., quæ incipit — in ſupremo — edita Anno 1724. 23. Sept., & habetur in Bullario Romano noviſſimæ Edictionis, tom. 8. part. 2. conſtitut. 1. pag. 472.

Si Conſtitutio prædicta habeat robur, Legentes appello.

Ad ſecundam partem quæſtionis ecce venio.

An ſpectent ad primam Dignitatem Reverendiſs. Capituli, & ſucceſſivè ad alias omnes Sacræ Functiones, deſcriptæ in Cerem. Epiſc., abſente Epiſcopo, vel impedito.

Quis unquam audebit contra te ire, ſi Apoſtolicas Conſtitutiones, Ceremoniale, & Decreta S. RR. C. quæ vi deciſionis Romanæ Rotæ apud Pignattellum &c., Monacellum, Fagnanum, & alios plurimos, uti dicis in tua pag. 26. num. 22. penitus recuſas, dicendo eſſe apprimè veneranda, ſed putaſſe non habere vim Legis univerſalis, quamvis prædictæ Conſtitutiones, & alia ſupradicta non indigeant tua interpretatione, cum declarata ſint pro omnibus Catholicis Eccleſiis.

Si Rota Romana, Monacellus, & Fagnanus apud te parum, vel nihil probant, apud me, & apud omnes, credo equidem eſſe exiſtimandas illorum opiniones, & Textus, & nunquam omnino vanam tuam interpretationem, quæ ſemper corruet apud Viros prudentes. Adſit Deus, & videamus ſaltem, an Decreta S. RR. C. aliquid valoris habeant. Jam novi ex præcedentibus tuis reſponſionem; Decreta ſæpe ſæpius particulariter emanaſſe, & idcirco nihil ad rem noſtram. Nihilominus non pro te, cum parvi ea pendas apponenda cenſeo, at pro iis, qui clarè intelligunt Legem Canonicam, & Sacras

cras

Digitized by Google

eras Ceremonias, ut videant, & cognoſcant Decreta, an pro Lege vera tenenda ſint, nec ne.

Decreta S. RR. C.

ABſente Epiſcopo, Functiones Epiſcopales ad primam Dignitatem, quæ reſidet, & ordine ad ſequentes, ſi primæ abſint, pertinent C. RR. 9. Jan. 1608.—aliud 21. Mar. 1609 — aliud 30 Jan. 1610.— Bartholom. Gavant. in litera Functiones — iſte Auctor eſt Magiſter tuus, & aliorum, qui conficiunt Calendaria Rituum.

1609. 21. Mar. — Benedictiones Palmarum, Candelarum, Cinerum, Delatio SS. Sacramenti in Proceſſione in ejus Feſtivitate, & alias ſimiles Functiones facere, quas faceret Epiſcopus præſens, abſente eo, vel impedito, ad primam Dignitatem, non autem ad Canonicum Hebdomadarium pertinere cenſuit, & declaravit S. RR. C. in Piſauren. apud Urſayam Diſceptat. Eccleſiaſticar. tom. 2. p. 2. diſceptat. 2. pro Capitulo Cathedralis Cremæ, cum Præpoſito ejuſdem Eccleſiæ ſub num. 75. pag. 190.

1611. 25. Jun. — Miſſarum ſolemnium celebratio, delatio SS. Sacrementi in Proceſſione in ejus Feſtivitate, Candelarum, Cinerum, & Palmarum Benedictiones, & Functiones ſimiles, quas Epiſcopus præſens in ſua Cathedrali facere ſolet, & debet juxta formam Cerem. Epiſc., abſente, vel impedito

Digitized by Google

Epiſcopo, ad primam Dignitatem, & deficiente prima, ad ſecundam, & ſic ſucceſſivè pertineat, ut reſpondit C. RR. in Civitaten., ſeu S. Severi apud Paſcuccium in Compen. ad Conſultat. Canonic. Jac. Pignattel. part. 2. tit. de Præcedentia pag. 245. juxta impreſſionem Romanam, ſed juxta Venetam pag. 151.

1627. 12. Jun — Abſente Epiſcopo Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis, fieri per Celebrantem, ut reſolvit C. RR. apud Urſayam idid. ſub num. 87. 92.

1640. 12. April. — Ille idem, qui benedixit Candelas, vel Cineres, aut ramos Palmarum debet etiam cantare Miſſam ſequentem, C. RR.

1702. 11. Feb. — Impedito, vel nolente celebrare Epiſcopo in Solemnitatibus majoris Hebdomadæ, Paſchatis, Pentecoſtes, & cæteris expreſſis in Cerem. Epiſc., prout etiam in occaſione Proceſſionum SS. Corporis Chriſti, & ſimilium, tam iſtæ, quàm cæteræ Functiones expleri non poſsunt a Vicario Generali, nec a Canonico Hebdomadario, ſed ſpectant ad primam Dignitatem, eaq. impedita, gradatim ad alias, ut declaravit C. RR. in Gerunden. Functionum Pontificalium apud Scarafantonum., ad Ceccoperium part. 1. lib. 2. tit. 23. ſub num. 4. pag. 177.

1704. 9. Jan. — Prima Dignitas præciſè tenetur ſupplere partes Epiſcopi impediti in celebrandis Miſsis

Digitized by Google

Miſsis ſolemnibus, & peragendis aliis ſolemnibus Functionibus, ad ipſum Epiſcopum ſpectantibus, ut reſolvit, & reſpondit C. RR. ad primum Dubium, ut refert Urſaya diſceptat. Eccleſiaſtic. tom. 2. part. 2. diſceptat. 2. ſub num. 31. & 32 pag. 18., vel 188., ubi etiam, quod hoc eſt juxta literalem diſpoſitionem Cerem. Epiſc. lib. 2 cap. 26. de ſupplendis vicibus, ibi — deficientium vices, ab aliis ſuppleri debent, ſupplebit alter ei proximus. —

Uſque modo expreſsa ſunt Decreta generalia, quæ non admittis pro Lege omnium Eccleſiarum, quoniam ad particularium inſtantiam Cathedralium a S. RR. C. emanavere; at vero ad iſtud ultimum Decretum emanatum ſecundum literalem diſpoſitionem Cerem. Epiſc., quid reſpondebis? Pro qua Eccleſia particulari conditum fuit?

Ad tua capita, & rationes tandem deveniendum eſt, quibus conaris probare, non omnes Functiones, quas ſolet facere Epiſcopus, pertinere, eo abſente, vel impedito, ad primam Dignitatem, & ſucceſſivè ad alias.

Centen. Notandum ergo primum, eum eſse uſum noſtri Capituli, ut abſente Archiepiſcopo, qui peragit munus Hebdomadarii, in Miſsis, & Veſperis ſolemnibus, idem ille officium præſtet in Functionibus præcedentibus, aut ſubſequentibus, v. g. qui celebrat Miſsas in diebus Purificationis, Feriæ

 quar-

Digitized by Google

quartæ Cinerum, Feriæ ſextæ ſubſequentis, Dominicæ Palmarum, Sabbati Sancti, pervigilii Pentecoſtes, & primas Veſperas Circumciſionis, benedicit, & diſtribuit Candelas, & Cineres, adimplet actionem quadraginta horarum, Palmas ſanctificat, Benedictionem Fontis peragit, & ſuper Populum implorat celeſtem rorem cum SS. Sacramento; Et hæc conſuetudo eſt conſona Ceremoniali, ubi Lib. 2. cap. 17. habetur, quod peracta ſupplicatione Candelarum, celebrans, ſcilicet, qui fecit Benedictionem, depoſito Pluviali accipiat Planetam pro Miſſa, atque ideo ea Conſuetudo ſervanda, quia rationabilis, & immemorabilis.

Centen. Notandum ſecundo, talem adeſſe uſum, ut nullus Capitularis inſerviat primæ Dignitati, nec cæteris de Capitulo, cum omnibus Capitularibus in Sacris Actionibus inſerviant Beneficiati, non obſtante Lege Ceremonialis reſcribente lib. 2. cap. 17. Dignitati, aut Canonico Hebdomadario inſervire Canonicos; cum loquatur de Capitulis, ubi Præbendæ ſunt diſtinctæ, uti declaravit S. RR. C. apud Ceccop. lib. 3. num. 98., & ut clarè deducitur ex dicto capite Cerem. dicendo, quod diſtributa Candela digniori de Capitulo, celebrans deinde diſtribuat Diacono, & Subdiacono, ſi ſint Canonici; Ergo miniſtrantes Canonico Hebdomadario, vel Dignitati poſſunt eſſe non Canonici, & id conſtat ex cap. 18., ubi adveniente Epiſcopo in

Fe-

Digitized by Google

Feria quarta Cinerum, dicit, quod Canonicus celebrans caput inclinet, Miniſtri vero genufl.ctant, ſi non ſint Canonici, quando ſcilicet Præbendæ non ſint diſtinctæ Ceccop. ut ſupra. Ego autem animadverto, quod ex illis verbis, ſi non ſint Canonici, ſe referat ad conſuetudinem.

Centen. Notandum tertio. Primam Dignitatem, tanquam unum de Capitulo teneri ad onus Hebdomadarii in præſcripta ſibi Hebdomada, prout tenentur alii Capitulares, & hæc noſtra conſuetudo convalidatur a S. RR. C. 9. Decemb. 1625. apud Pitton. pag. 177. declarante Dignitates ſubire onera aliorum Canonicorum, cumq. prima Dignitas exercendo munus Hebdomadarii cauſa ſuæ Hebdomadæ peragat officium omnibus Canonicis commune, habenda eſt, prout habentur omnes alii Canonici Hebdomadarii, his cæteris præmiſſis &c.

Centen. Benignitatem legentium imploro, ut ſemper in mente, & præ oculis præſeferant quantum ponderis habeant omnes conſuetudines expreſſæ in tribus præcedentibus notandis, cum inde pendeat ſolutio omnium quæſtionum in præſenti materia occurrentium. Hinc jure, meritoq. inveſtigare oportet, utrum ne Functiones, quas Archiepiſcopus, ſi præſens eſſet, & per ſe ipſum exerceret, quæque ad ipſum ſpectarent, eo abſente, vel impedito, ſi incidant extra Hebdomadam primæ Dignitatis, ad

eam ſpectent, an vero ad Hebdomadarium?

Ut reſponſio ad quæſitum clarè luceſcat, ſciendum eſt de jure ferè communi, niſi obſtet laudabilis, & immemorabilis conſuetudo contraria, ſpectare ad primam Dignitatem functiones merè Epiſcopales; dixi merè, quia ad primam Dignitatem ſpectant Functiones, non quas Epiſcopus celebrare poteſt, cum poſſit ſuo arbitrio, ut Cerem. lib. 2. cap. 34. multa Feſta ſolemnizare, ſed illa, quæ ad Epiſcopum ſpectant, ut innuit S. RR. C. in ſuo Decreto pro noſtra Eccleſia num. 34.

℞. Cognoſco te ſemper contra Jus merum, quod confiteris adire, & idcirco refers, quæ ad rem non pertinent, vel parvam relationem habent; Qua de cauſa inter nos diſputandum, an pertineant ad primam Dignitatem omnes Functiones Epiſcopales, quas facere ſolet, & debet, non quas poteſt pro ſuo libitu ſolemnizare. Scio etiam ego, quod ſi Epiſcopus velit quotidie, vel ſæpiſſimè præſens eſse in Choro, & ad omnia Sacra peragenda, uti paſſim egit laudabiliter olim Cardinalis Belarminus, nemo hoc negabit. Sed quæſtio eſt de eo, quod ſolet, & debet facere annuatim Epiſcopus; & benè intellige, Functiones Epiſcopales in Cerem. Epiſc. per annum eſse deſcriptas dietim, ut infra.

De Feſto Purificationis B. M. V. ac diſtributione Candelarum Cerem. Epiſc. cap. 16. pag. 217.

De Officio, & Miſsa de Feria quarta Cinerum — cap. 18. pag. 227.

De

De Officio, & Miſſa in Dominica Palmarum cap. 21. pag. 236.

In his ſupradictis diebus invenio in Cerem. Epiſc., quod etiam Canonici parantur Pluviali in Benedictione ſupradictorum, & ſic permanent uſque ad completam Proceſſionem incluſivè, videlicet in die Purificationis, & in die Palmarum; nunc quæro dicas, an veræ ſint Functiones Epiſcopales, quas etiam iſto nomine S. RR. C. appellat.

De aliis majoribus ſolemnitatibus, quæ cadunt per Annum, & tu impugnare non audes, nihil dicam, & ſi quid dicendum, erit de majori Hebdomada, quæ per te non ſpectat integraliter ad primam Dignitatem.

Triplici modo præſcribis Feſta celebrari ab Epiſcopo, ſcilicet cum Cappa, cum Pluviali, & Pontificaliter cum omnibus Sacris Veſtibus &c. & dicis abſolutè, & extra dubitationem, Feſta exercenda ab Epiſcopo primo, vel ſecundo modo, ut ſupra dictum eſt, non ſpectare ad primam Dignitatem, ſed ad Canonicum Hebdomadarium, quæ cum ſint per ſe ſatis nota non indigent probatione; quæſtionem ergo reducis tantum ad prædicta Feſta, cnm alia, quæ Pontificaliter per annum Epiſcopus perſolvat, concedas.

Si tua ſunt vera Teſtimonia, docere oportet S. C. RR. quoniam ſi id ſciet, forſitan retrahet ad ſe multa Decreta, & varia, quæ ſuper hac re emanarunt,

narunt, & dicet in ſententia D. Centeni, non omnes Functiones, quas facere ſolet Epiſcopus, ſpectare ad primam Dignitatem, eo abſente, vel impedito, ſed tantummodo Functiones ſolemniſſimas, uti dicis per amplè de pleno Pontificali, & non probas ulla ratione. At vero cum res ita ſe non habeat S. C. RR. intellexit, & intelligit adhuc, quod ſpectent ad primam Dignitatem omnes Functiones indiſtinctè, inſeparabiliter, quas annuatim, & dietim Epiſcopus in ſua Eccleſia Cathedrali ſolet, & debet facere; ſicuti in Cerem. Epiſc. ſunt deſcriptæ per extenſum. Nec urges me tuis dictis, quod ex conſuetudine Eccleſiæ Metropolitanæ Senen. ſint per tot Secula jam præterita ab Hebdomadario Canonico peractæ dictæ Functiones, & licèt multum enixè loquaris, te vidiſse Tabularios Libros Eccleſiæ Metropolitanæ, in quibus obſervaſti in Feſtis prædictis, quæ contendimus, ſemper ab Hebdomadario peractas fuiſse Sacras Actiones, tam Veſperarum, quàm Miſsæ ſolemnis, cum nullius ponderis, vel rationis ſint a te dicta, quia de tempore, in tempus interruptus fuit ordo peragendi Sacras Functiones; & ideo non ſatis probas hanc Conſuetudinem, & quatenus jam vera fuerit, tanquam non Ceremonialis, & conſentanea Ritui, deleta temporibus noſtris dici poteſt, & debet.

Quoniam multum ex animo laboraſti ſuper munus Hebdo-

Hebdomadarii, tam pro Matutinis, quàm pro Miſſis, & aliis ſolemnibus Functionibus, meum erit, ut aliqua tibi dicam; Et præcisè oportet deſcribere Sacras Functiones, quas facere ſolet, & debet Epiſcopus annuatim, & eo abſente, vel impedito, per quem Miniſtrum celebrentur, etiam eo præſente.

In Lib. 2. cap. 6. — De Matutinis in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, abſente Epiſcopo, ſolemniter celebrandis, vocatur Canonicus, ſeu alius dignior Præsbyter Eccleſiæ Miſsam celebraturus, qui officium fecit, & non Hebdomadarius.

Lib. 2. cap. 9. — De Miſsa ſolemni, quæ coram Epiſcopo celebratur — Miſsa, vel per Epiſcopum ſuffraganeum, vel per inferiorem Epiſcopo. Epiſcopus adeſse ſolet Miſsæ celebratæ — hic etiam non vocatur Hebdomadarius.

Lib. 2 cap. 12. — De Miſsa pro Defunctis, quæ coram Epiſcopo celebratur, vocatur Celebrans, & nunquam Hebdomadarius.

Lib. 2. cap. 14. — De Vigilia Nativitatis Domini, de Matutinis, & Miſsa in nocte celebranda, ſic dicitur — Si Epiſcopus non erit celebraturus primam Miſsam &c., ſive Prælatus; ſive Canonicus &c. hic quoque non nominatur Hebdomadarius.

Lib. 2. cap. 16. — De Feſto Purificationis B. M. V. pro Miſsa ſolemniter celebranda præſente Epiſcopo, vocatur Celebrans, & non Hebdomadarius.

Lib.

Digitized by Google

Lib. 2 cap. 18. — De Feria quarta Cinerum Epiſcopo celebrante, vel non, ſed præſente, nominatur Canonicus celebraturus &c., & non Hebdomadarius.

Lib. 2. cap. 21. — De Miſsa in Dominica Palmarum, ut in die Purificationis.

Lib. 2. cap 22. — De Matutinis Tenebrarum non datur Hebdomadarius, nec nominatur, etiam abſente Epiſcopo, & Oratio — Reſpice — de jure ſpectat ad primam Dignitatem, quæ ſuccedit in muneribus Epiſcopi.

Lib. 2. cap. 23. — De Officio Feriæ quintæ in Cœna Domini — Si Epiſcopus neceſſario impedimento præpeditus non celebrat Miſsam, per alterum ſuppleatur &c., & hìc Hebdomadarius non nominatur.

Lib. 2. cap. 26. — De Officio Feriæ ſextæ Epiſcopo non celebrante — Si Celebrans ſit Prælatus &c. vel Canonicus &c. Hebdomadarius abeſt.

Lib. 2. cap. 28. — De Sabbato Sancto Epiſcopo præſente, vel celebrante — dicta Nona, Canonicus, vel alius &c. hìc Hebdomadarius non nominatur.

Lib. 2. cap. 30. — De Officio Paſchæ abſente Epiſcopo in Eccleſiis Cathedralibus, & in Collegiatis, aliquis Canonicus, ſeu Dignitas, vel is, ad quem ſpectat hac die celebrare in abſentia Epiſcopi &c. Hebdomadarius abeſt.

Lib.

Digitized by Google

Lib. 2. cap. 31. — In Dominicis per Annum, ſi Epiſcopus voluerit celebrare, aut Miſsæ ſolemni per alium celebratæ intereſse &c., & hìc Hebdomadarius abeſt.

Lib. 2. cap. 35. — Singulis Annis in diebus anniverſariis electionis, & Conſecrationis Epiſcopi Miſſam ſolemnem, vel per ipſum Epiſcopum, vel per aliquam Dignitatem, ſeu Canonicum, ipſo præſente celebrari convenit &c. hìc demum Hebdomadarius non nominatur.

Mihi videtur, exclamantem te audire, ad quid tam ſtricta deſcriptio Cerem. Epiſc. ſuper munia Hebdomadarii; numquid in Eccleſia deerit Hebdomadarius in Sacris Functionibus peragendis?

Datur Hebdomadarius, & canonicè datur in Eccleſia. Verumtamen in perſolvendis horis canonicis potiſſimùm, uti in Breviario Romano paſſim nominatur, & diſtinctè dignoſcitur per munus ſuum. Verum enim vero pro celebranda Miſſa ſolemni, quæ ab Epiſcopo, vel eo præſente, vel abſente, celebratur, nunquam Hebdomadarius vocatur in Cerem. Epiſc., nec habet locum in prædictis Functionibus; ſed tantummodo nominatur Canonicus, Dignitas, Prælatus, vel Epiſcopus ſuffraganeus, ſignanter in diebus ſupra deſcriptis, ita taliter, quod Miſſa ſolemnis non ſit ritè hora canonica, ſed tantùm per modum unius, ut Canonici lucrentur diſtributiones ab Eccleſia, cantari de-

Digitized by Google

debeat, & ſoleat; qua de re, ne compareat novum, ſi tacitè Cerem. Epiſc. per deſcriptionem prædictam ſic declarat; unde hoc nomen, Hebdomadarius, non ſonat, quàm in horis Canonicis, & in ſimplicibus Sacris Actionibus, & hoc potius de more Univerſalis Eccleſiæ, quàm de jure ſui officii; Et ſciatur, quod vix bis, aut ter in toto Cerem. Epiſc. nominatur Hebdomadarius, & ſemper mixtim cum Dignitate, vel alio, ad quem ſpectet &c.

Quam ob rem Rm̃us D. Horatius Piccolomineus Eccleſiæ Metropolitanæ Decanus Anno 1670. obtinuit infraſcriptum Decretum a S. RR. C., ſignum evidens, quod prædictus D. Decanus, verè Doctor, ut benè noſti, cognovit Conſuetudinem, quam conaris probare, eſſe vanam, interruptam, irregularem, & idcirco depoſita *humili* manſuetudine, quam in ore, & geſtis præferebat, ſicuti omnibus etiam manifeſtum eſt, nullo habito reſpectu, ad Rm̃um Capitulum, pro ſua Conſcientia, ſubſequens Decretum imploravit, atque obtinuit a S. RR. C., credo equidem non ſine validiſſimis rationibus, & de jure. Quapropter ad normam Decreti, quatenus Conſuetudo a te allata per aliquod ſpatium temporis viguerit, per Decretum iſtud deleta, & uti abuſus a S. C. judicata fuit.

En Decretum particulare pro Ven. Eccl. Senen. a S. RR. C. prolatum.

De-

Decretum.

S. RR. C. Ad tollendas diſſentiones, & pro quiete, & bono pacis Eccleſiæ Cathedralis Civitatis Senarum, inhærendo Decretis aliàs in ſimilibus factis, iterum declaravit; Miſsas ſolemnes, Proceſsiones, Officia Divina, & alias ſimiles Functiones, quas faceret Archiepiſcopus dictæ Civitatis ſi præſens eſset, & ad ipſum pertinerent, Archiepiſcopo prædicto abſente, vel impedito, non ad Canonicum Hebdomadarium dictæ Cathedralis, ſed ad Dignitates, & Canonicos ejuſdem pertinere ſucceſsivè, & non alternatim, ideſt, ſi Archiepiſcopus impeditus, vel præſens non erit, prima Dignitas celebret, vel Officium faciat, quod ad Archiepiſcopum præſentem pertineret, & ea impedita, vel abſente, ſuccedat ſecunda Dignitas, & ſecunda impedita, tertia, & omnibus Dignitatibus impeditis, & abſentibus, primus Canonicus id exequatur, & ſic per ordinem ſucceſsivè faciendum eſse declaravit, & ita in Eccleſia prædicta ſervari mandavit; donec dictus Hebdomadarius legittimè probaverit prætenſam, & ab ipſo allegatam in contrarium Conſuetudinem. Datum ſub die 29. Novemb. 1670. — Hoc Decretum in Curia Archiepiſ. ſub num. 94.

Conſuetudinem tuam ergo quis intelligit? Si tali, ac tanto Decreto pro Eccleſia Metropolitana Senarum, ita diſtinctè, & clarè emanato, & deſcripto ſen-

Digitized by Google

ſententia orta eſt; nec valet aſsignare Epiſtolam officioſam, olim Illuſtriſs., ac Rmi D. D. Archiepiſcopi Aſcanii Piccolominei, ſcriptam Rmo Capitulo, ut pro bono pacis, & in gratiam ſui exequi ſtuderent prædictum Decretum, quia quamvis dici poſsit tunc temporis Capitulum adheſiſse potius huic officio D. Archiepiſcopi, quàm Legi Decreti ſupradicti; tametſi Decretum non accepiſset, in ſuo robore ſtabat, & ſtabit pro Lege vera, & indubitata, & quamvis prædictus D. Archiepiſcopus rogaverit Capitulum, ut ſupra dixi, ſignum eſt enim evidens, quod intrinſecè cupiebat, ut illud ad executionem mandaretur. Qua de cauſa illa ultima particula Decreti, in qua dicitur — donec dictus Hebdomadarius legitime probaverit prætenſam, & ab ipſo allegatam in contrarium Conſuetudinem — juſtè debebant, non ſtando ad Decretum recurrere ad S. C. Canonici illius temporis, & probare legittimè ſuam Conſuetudinem. Uſque adeo Rmi DD. Capitulares hoc non egerunt, & laudem conſecuti ſunt obediendo, ſicuti fas eſt S. RR. C., & adhærendo etiam officiis ſui Illuſtriſ., ac Reverendiſ. Archiepiſcopi.

Ut autem prædictum Decretum ſit invalidatum, oportet, ut novum Decretum in contrarium videatur emanatum a prædicta S. RR. C.; alioquin Decretum erit ſemper Decretum, & pro Lege in conſcientia tenendum eſt, ſecundum meam ſen-

ten-

Digitized by Google

ſententiam ad tenorem Sacrorum Rituum. Itaque tua verba tot particulis munita, per rationes vero nihil probant, & tantùm ſeminant zizania ſuper triticum, & parce, ſi ita loquor, quia Eccleſia Dei poſita in pace, pro pace tuenda eſt, & contra eam nunquam excitandum ſcandalum.

Ne credas, me ſatis dixiſse ſupra partem hujus quæſtionis, quia adhuc mihi ſuperſunt rationes, & Leges ad demonſtrandum canonicè, quod abſente Epiſcopo ab Eccleſia, omnes Functiones, quas ipſe facere ſolebat, & debebat, recidunt in primam Dignitatem, & mirandum, & fortaſsis ridendum, quod ego cum exprobraverim Textus olim D. Benvoglienti, tanquam non ceremoniales, nunc mihi ad eoſdem neceſse ſit recurrendum; ut cognoſcat D. meus Centeni, quod etiam Ann. 1216. Epiſcopo Bonfilio celebrante in Plebe ſolemniter, eo deficiente, vel impedito ab Archipresbytero cum Diacono, & Subdiacono etiam ſolemniter celebrabatur. Puto fuiſse, illo tempore, primam Dignitatem, unde non lego in prædicto Textu antiquiſſimo, quod impedito Epiſcopo ad celebrandum ſolemniter in Plebe, Canonicus Hebdomadarius ſuccederet. Si argumentari licet in hac particula, vides, quod proximus Epiſcopo ſemper ſuccedit in muneribus ejus, id etiam fit, & factum fuit per ſecula, tam in ſtatu Politico, quàm in Militari, ita ut impedito Capite, vel Duce, vel

C eo

Digitized by Google

eo abſente, ſuccedat proximè accedens.

Tempus eſt tandem, ut ad Sacram Hebdomadam, qua Lege ſit celebranda, per Capitulum, accedamus, propter quam maxima quæſtio orta eſt, an Triduum dictæ Hebdomadæ, videlicet Feriæ quintæ in Cœna Domini, Feriæ ſextæ in Paraſceve, & Sabbati Sancti, celebrandum per primam Dignitatem, vel per Canonicum Hebdomadarium. Tu per verba tua aſserere, & probare conaris, ſignanter Feriam ſextam in Paraſceve, & Sabbatum Sanctum per Canonicum Hebdomadarium, & non per primam Dignitatem ſolemnizandum eſse. Rationes tuæ — nomen Conſuetudo antiqua — de qua ſatis mihi videtur locutum eſse; Per me autem dictum Triduum, ſtat ſemper celebrandum in mane, ſcilicet ad Miſsam Feriæ quintæ, ad Functionem Feriæ ſextæ, ad Miſsam, & Benedictionem Fontis, & ad omnia alia, quæ dicto Sabbato ſunt unita, non a Canonico Hebdomadario, ſed a prima Dignitate. Audi rationes meas. Primò hoc Triduum ſingulariter eſt primæ Claſſis, & tam ſanctum, ac venerandum, ut S. Mater Eccleſia nunquam in eo permiſerit celebrari Feſta cujuſcumq. ordinis, ſeu conditionis, & rationabiliter, cum agatur de Paſsione Chriſti. Triduum hoc ſemper ab omnibus Epiſcopis, & maximè hìc Senis celebratum fuit ab Illuſtriſ., ac Rmo D. D. Archiepiſcopo ſolemniter, uti in ſe eſt, qua ra-

Digitized by Google

ratione eo abſente, ſpectat ad primam Dignitatem, celebratio ejuſdem. Secunda ratio eſt, quod hoc Triduum dicitur continuata Solemnitas, in quo Epiſcopus ſemper ſolemniter agit, etſi adſit Archiepiſcopus celebrans, non ſolùm in Feria quinta Cœnæ Domini, ſed quod majus eſt in Sabbato S. utitur Pallio, quod benè ſcis, non omnibus diebus, quibus permiſsum eſt, ob varias cauſas Archiepiſcopo celebrare, eo uti poſse, & debere; demum, quod ſit Solemnitas primæ conſiderationis S. RR. C. ſtatuit ſub die 11. Feb. 1702 vocari his verbis — in Solemnitatibus majoris Hebdomadæ — &c.

Jam de Feria quinta audio primam Dignitatem celebrare ſolemniter, de hac die igitur nihil dicendum, cum eadem habeat ſuum jus. Sed ob tuam Scripturam, & verba prolapſa in favorem Hebdomadarii pro functione Feriæ ſextæ, & Sabbati S., intelligo excluſam primam Dignitatem a dictis Sacris Functionibus, & quod hoc de Conſuetudine prætendatur pertinere ad Canonicum Hebdomadarium. An ita ſit, neſcio equidem, quoniam abſens ſum ab Eccleſia; At vero ſi in Feria ſexta ad Aram eſset Canonicus Hebdomadarius repræſentans Perſonam Chriſti Crucifixi, & in Pulpito majores Dignitates cantantes Paſsionem, per me eſset incongruum, & incongruum judicabunt, ſi hoc fiat, omnes, qui etiam Legem, & Sacrum

Ri-

Digitized by Google

Ritum non viderunt. Quanto majus erit dicendum de Sabbato S., & dolendum, ſi hanc ſolemnitatem, quam Eccleſia vocat Sacratiſsimam Noctem debeat Canonicus Hebdomadarius eam celebrare ſolemniter, & prima Dignitas Capituli, quæ lato modo vocatur Prælatus, & proxima Archiepiſcopo in omnibus circumſtantiis, & actionibus ſacris, debeat eſse a longe, & ſecluſa ab officio ſuæ Dignitatis.

Denique pro concluſione hujus quæſtionis, & operis aperiatur Liber Cerem. Epiſc., & inquiratur in eo diligentiſsimè, an pro hac ſacroſancta die in favorem Primæ Dignitatis aliquid poſsit inveniri. Ecce in capite lib. 2. cap. 27. pag 277. de Sabbato S. Epiſcopo celebrante circa Fontem benedicendum hæc verba leguntur — Si vero noluerit, aut non potuerit Epiſcopus id præſtare, deſtinabit aliquem ex dignoribus Capituli, qui Pluviali paratus, comitantibus aliquot Accolythis, & Miniſtris cum Cereo accenſo, & Cruce ea omnia faciet. Quibus peractis, ſi aderunt Cathecumeni baptizentur more ſolito ab Epiſcopo, aut a Dignore ex Capitulo — iſta verba, ſeu potius regula Legalis, quo modo ſe gerere debeat Epiſcopus, ſi noluerit, vel non potuerit Fontem Baptiſmalem benedicere, clariſſimè demonſtrant, quod Epiſcopus de jure Cerem., & non proprio arbitrio, ſi non potuerit, ut ſupra, deſtinare debet ad hoc peragendum unum ex Dignioribus Capituli, & per verba ſubſe-

ſe-

ſequentia, quæ dicunt — Si aderunt Cathecumeni baptizentur more ſolito ab Epiſcopo, aut a Dignore ex Capitulo — deducitur apertiſſimè, ſemper pertinere ad Dignorem Capituli Fontem Baptiſmalem benedicere, ſi non benedicat Epiſcopus præſens. Ergo a fortiori, abſente Epiſcopo, vel impedito, ea omnia peragere per Legem, & verba hujus tenoris Cerem. Epiſc. ſemper pertinent ad primam Dignitatem celebranda integraliter, & non ad Hebdomadarium.

Vixit, circa ad duos Annos, quaſi infirmus, olim Illuſtriſ, ac Rmus D. D. Archiepiſcopus, & eo tempore, tam Triduum Sacræ Hebdomadæ, quàm alias Functiones ad ipſum ſpectantes, ſemper Rmus D. Decanus ſine ulla contradictione ſolemniter celebravit. Mortuo tandem D. Archiepiſcopo, tuis variis, ac penitus peregrinis rationibus ſuſcitaſti Rmum Capitulum per tuam Scripturam, ad conſervandam Conſuetudinem Hebdomadarii in Sacris peragendis, quam non probaſti, neque probabis. Ah, parcat tibi Deus, ſi malè intellexiſti, & pejus expoſuiſti de illa. Et cum nihil amplius habeam pro præſenti cauſa, finem faciam ad Laudem Omnipotentis Dei, & Glorioſiſsimæ ſemper Virginis Mariæ in Cœlum Aſsumptæ, Patronæ noſtræ Venerabilis Eccleſiæ Metropolitanæ.

Incidenter, ſeu potius ex tua induſtria multa ad calcem tuæ Scripturæ dicis per conſequentias,

circa

circa pulſationem Campanarum. Ego de ſonitu Campanarum præciſam Legem non habeo; nec diffusè didici de eo, neque per conſequentias, tantùm ſcio Campanam Horologii ſtatutis horis, per virtutem Rotarum, & ponderis, ſonare; Campanas vero majores, ſeu minores Eccleſiarum, ſonare, tamdiù, quamdiù, toties, quoties, per funes excitantur. Vale.

312.14

Digitized by Google